

Nechutová, Jana (editor); Malá, Jana (editor)

### **Contra cantores Francigenas in ecclesia**

In: Hus, Jan. *Mistr Jan Hus v polemice a v žaláři : překlady, komentáře a poznámky*. Nechutová, Jana (editor); Malá, Jana (editor). Vydání první Brno: Filozofická fakulta, Masarykova univerzita, 2019, pp. 175-177

ISBN 978-80-210-9323-2; ISBN 978-80-210-9324-9 (online : pdf)

Stable URL (handle): <https://hdl.handle.net/11222.digilib/141444>

Access Date: 01. 12. 2024

Version: 20220831

Terms of use: Digital Library of the Faculty of Arts, Masaryk University provides access to digitized documents strictly for personal use, unless otherwise specified.

---

# PŘÍLOHY

---



# CONTRA CANTORES FRANCIGENAS IN ECCLESIA

*Bartoš – Spunar č. 49, s. 100, 1408–1411, přepis z rukopisu Wien ÖNB 4546, 54v-66r (srv. edici Jana Sedláka, Několik textů z doby husitské, 1–3, 1912–1913, zvláštní otisk z časopisu Hlídka, 28–30, 1912–1913).*

Beatus Bernardus, fistula celestis, natione Clarenensis:

<sup>621</sup>Sunt quidam in choro mente vagi, oculis attoniti, gestu dissoluti, in cantu absoni et lascivi. Cantant enim magis ut placeant populo quam Deo, non cantant in choro cum Maria sorore Moysi, sed in palacio cum Herodiade, ut placeant discumbentibus et Herodi.<sup>621</sup>

Et ut ingrediamur huius satherie latitudinem: <sup>622</sup>unde, queso, in ecclesia tot organa, tot

cimbala,<sup>622</sup> tot monstruosa cantica?

Hic<sup>623</sup> succinit, ille discinit, alter subcinit, alter medias quasdam notas dividit et incidit. Nunc vox stringitur, nunc frangitur, nunc impungitur, nunc diffusiori sonitu dilatatur, aliquando, pudet dicere, in equinos hinnitus cogitur, aliquando vigore virili deposito in femine vocis gracilitatem acuitur. Interdum totum corpus histrionicis gestibus agitur: torquentur labia, rotantur oculi, ludunt humeri et ad singulas quasdam notas digitorum flexus respondet. Et hec ridiculosa dissolutio vocatur religio. Stans inde populus miratus attonitus, lascivias cantantium, gestulationes meretricias, vocum alteraciones et infracciones intuentur cum risu, ka-

---

621 *Sunt...Herodi*, Hugo de Folieto, *De clauastro animae*.

622 *Unde...cimbala*, Aelred, *Speculum charitatis*.

623 *Hic...voluptatis*, Aelred.

cchino, non ut videatur ad oratorium, sed magis ad theatrum venisse, nec timetur illa tremenda magestas, cui assistunt angeli et ubi celestibus terrena miscuntur et angelis homines sociantur. Et quid sancti instituerunt, ut infimi ad effectum per cantum excitarentur pietatis, honore assumitur ad usum illicite voluptatis.<sup>623</sup> Ut tu, qui sic frangis<sup>624</sup> vocem, sciens frangere voluptatem, in consonancia vocum sciens concordiam morum, ut per exemplum concordares cum proximo, per voluntatem cum Domino, per obediendum cum superiori tuo! Si habes dulcedinem vocis, habeas dulcedinem cordis, et sic per ascensus et descensus mystice frangis et elevas vocem, sic per ascensus et descensus virtutum frangas mentem ad compassionem proximi, elevas eam ad contemplacionem proximi ascendens.<sup>624</sup> Vere hec est musica et cantus eius, ubi sex<sup>625</sup> sunt voces ille concordens, scilicet humilitas cordis, mortificacio carnis, compassio, consolacio, oracio, devocio<sup>625</sup> caritatis. Hec Bernhardus.

Ex hiis dictis huius magni sancti patet primo, quod per cantus huiusmodi histrionicos, rondelos et lascivos Deus inhonoratur. Secundo, quod ordo ecclesie in cantu per santos patres inventus destruitur. 3<sup>o</sup>, quod populus in devocione impeditur. Quarto, quod mulieres ad luxuriam clericorum cantantium inclinantur, et hinc cantores frequenter fiunt hovisatores seu procatores, et, si veritatem vellent dicere, faterentur, quod plus canunt, ut placeant hominibus, et presertim mulieribus, quam ipsi Deo et domino Iesu Cristo. Et velint nolint dicere, dies iudicii eorum intencionem omnibus declarabit! Quinto, quod cantores supra alios in superbiam elevantur et fiunt miserabiles iuxta illud vulgatum dictum:<sup>626</sup>

Cantores, scriptores, et pulchras mulieres  
vox, manus et species hos facit instabiles.

Vox facit instabiles cantores, manus scriptores et speciei pulchritudo mulieres. Sexto, quod sacerdotes in officio impediti sepius errant, qui tunc deberet circa sacramentum venerabile devotissime occupari. Septimo, quod scolares tempus inutiliter in illis cantibus consumunt, et in aliis utilioribus negliguntur. Octavo, quod ipsimet cantantes ad dissolutionem in choro, ubi deberent esse devotissimi, ad risum illicitum concitantur. Nono, quod nullus fructus tunc in illis cantibus invenitur, et per consequens sunt nocivi anime, et sic de ecclesia Domini ad sinagogam curiensium thabernariorum et lasciviensium cum tibicenis instrumentis lasciviam provocantibus expellendi, nam scribitur Matthei 9:<sup>627</sup> „Cum venisset Iesus in domum principis et vidisset tibicenes et turbam tumultuantem, dicebat: Recedite, non enim puella est mortua, sed dormit. Et deridebant eum. Et cum eiecta esset turba, intravit et tenuit manum eius et dixit: Puella, surge! Et surrexit puella.“

624 *Frangis...ascendens*, Hugo de Folieto.

625 *Sex...devocio*, Aelred.

626 Verše neidentifikovány.

627 Mt 9, 23–25.

Cristus Iesus venit in domum principis, quia in ecclesiam Dei Patris et videns tibicenes et cantores et turbam exinde tumultuantem et dicit „Recedite“, scilicet de domo Patris mei, quia etsi non mori, tamen dormire facitis, id est tepescere, puellam, id est animam fidelem, et deridetis me, dominum Iesum Cristum, ego tamen teneo manum, quia puella, ne cadat in vestris lascivientibus melodiis, sed surgat per contemplacionem in suum sponsum.

Istis et aliis pensatis bone memorie domini archiepiscopi Pragenses Arnestus et Iohannes, et dominus presens archiepiscopus, dominus Zbynko, sub pena excommunicacionis cantus huiusmodi, scilicet mensuram sive rundelos prohibuerunt in sua diocesi cantare. Et ex illo omnipotens Deus, Pater et Filius et Spiritus sanctus tribuat eis vitam eternam una cum illis, qui in hoc ipsis obedierunt et obediunt, in finem. Amen.